6.204

MISCELLANEA TIGURINA,

Edita, Inedita, Vetera, Nova, Theologica, Historica, &c. &c. omnia partim rariora, partim lectu ad profectum in eruditione & pietate utilia.

I. Auszgabe.

Zürich:
In der Bodmerischen Truckerey.
MDCCXXII.

enim præventus, parentum ſpem omnem deſtituit. Exinde maximus natu *Jacobus* mihi propter ætatem prælatus, pro Laurentio, hortatu Leonis avunculi, Tigurum miſſus eſt. Ibi quum aliquandiu ſcholas frequentaſſet, deprehenſus eſt ingenio a ſtudiis alieno & averſo, qui tamen poſtea in arte ſculptoria & architectonica celebris magiſter effectus eſt: quod ejus monumenta teſtantur, quæ paſſim per Germaniam cernuntur, maxime *Bingæ* infra Moguntiam, ubi & mortuus & in templo honorificè ſepultus eſt, monumento & lapide addito, propter artem, quam in eo gens illa admirabatur. Sed is quoque quadrageſimum ætatis annum non attigit. Tunc vero quod frater meus ad aliud vitæ genus aſpiraret, ego in ejus locum, Divina ſic favente gratia, tandem cooptatus ſum. (d) Tigurum

(d) Ante hoc tempus putem Fabritio noſtro accidiſſe mirabilem illum caſum, quem in ſuo de *Providentia Dei dialogorum* libro, ut ſibi ſumme fatalem, & utique ad poſteritatis memoriam diſſeminari dignum, ſequentibus verbis ipſe enarrat: *Dicam, quæ mihi acciderunt admodum puero. Humilior eram quam quod poſſem urnam, quæ perticæ illigata ſuper os putei impendebat, manu contingere, crepidinos ergo putei conſcendere paro; ibi cum urnam prenſo, ipſa mobilis contactum effugit, ego excutior præcepsque ruo. Coborreo quoties fatalem hunc caſum reminiſcor. Solent illis in locis oras puteorum trabibus mutuo conſertis frequenter includere; harum una ex ſupremis, ſoluta compage, pridie ejus diei in puteum deciderat, ſic trabis caſum meus ſubſequitur. Quod vero illa transverſum puteum occupaſſet, egoque præceps ruiſſem, mira-*

gurum veni ſeptimo ætatis anno, ibique cum Leonis filio Joanne, quod æquales fere eſſemus, Scholas frequentavi. Poſtea tamen Baſilea Tiguro, propter loci propinquitatem, a parentibus prælata eſt: maxime quod *Joannes Henricus Winckelius* illuc me ad ſe invitaret, vir pietate, & nominis celebritate tunc clarus: in bello enim Suevico ad Tornacum, primos ordines Solodurenſium duxerat, quorum tunc civis fuerat; poſtea religionis gratia & pa-

bantur quotquot inſpiciebant & conſiderabant, qui fieri potuiſſet, quod inter cadendum trabem non contigiſſem poſt fluctuationem vero ad eandem ultro delatus, divaricatis cruribus et tantiſper inſediſſem, donec a parentibus & vicinis mihi tandem ſubveniretur. Illi demittebant qui funibus me illigaret, quibus implicatus poſtea extraherer. Sic multa Dei miracula in hoc uno facto ſimul concurrunt. Hæc mater mea probe animadvertens, quod pia eſſet multæque lectionis mulier, puero mihi identidem ingeminans, uſque ſuggerebat, Dei providentiam agnoſcerem, quæ me procul dubio hiſce progymnaſmatis ad majora documenta præparare voluiſſet. Sic Deus parentes meos docere voluit, non tantum in illorum cura ſitum fuiſſe, quantum in ſua ipſius tutela & benevolentia. Me vero non obſcure admonuit, cui porro omnem meam vitam deberem, ei utique, cujus beneficio non modo viverem, ſed pene miraculoſe viverem: hanc quoque non invitus pro nominis illius gloria deponerem, qui ne inglorius morerer, eandem mihi in hunc uſque diem clementer prorogaſſet; ei me meaque deinceps lubens committerem, qui ſuam erga me meosque bonitatem, tam illuſtri declaraſſet argumento. Lib. cit. p. 41. 42.

& patria & bonis exutus, Basileæ circa id tempus cum conjuge, matrona honestissima, jam senex exulabat. Tantum tamen ex facultatibus reliqui erat, quantum ad vitæ subsidium satis esset. Is quod unicum filium, quem studiis consecrarat, Lutetiæ Parisiorum, sinistro quodam fato, in Sequana amisisset, doctis vero viris mirifice faveret, quorum consuetudine summopere delectabatur, me in solatium mœroris, & mortui desiderium ad se mitti postulabat: propterea quod eum sanguine quam proxime contingerem. Sic Basileæ (e) *Hugvvaldo* præceptore bonas literas didici. Per idem tempus D. *Era-*

(e) Est ille *Huldricus Mutius Huguvaldus*, eruditus Durgeus, in *villario Stocken proxime Episcopicellam* (im Weyler Stocken bey Bischoffzell) urbem Turgoviæ Helvetiorum natus, Basileensis olim Lycæi Professor, qui propter libellum *de studiorum suorum proemio*, & *Epistolam ad omnes qui Christum ex animo quærunt*, scripsit *de Germanorum prima origine, moribus, institutis, legibus, memorabilibus pace & bello gestis omnibus omnium seculorum, libros XXXI.* Basileæ An. 1539. apud *Henr. Petrum* impressos. Ex quibus P. *Bælius* notabilia quædam de cœlibatu clericorum citat in Artic. omissis diction. sui. Ed. ult. T. IV. p. 3051. 3052. ad nom. MVTIVS. Erasmo contemporaneo suo & Basileæ concivi fuit iniquior, *non veritus illi nomen Theologicum adimere, tum quod quicquid faciat in rem Christi, faciat mollius, tum quod vivat delicatius.* Ita de eo *Myconius*, qui illum *Hugbaldum* vocat, ad Zuinglium nostrum apud Hott. H. E. T. VI. p. 344. Ab eo Th. Platerus prædium aliquod emit, creditore difficili. Vide Vitam Plateri supra in der II. Ausgabe p. 327. 328.

D. *Erasmus Roterodamus* (f) diem suum obiit, cujus & sepulturæ & funeri puer interfui. Postea quod Bucerus Tigurum ad Leonem scripsisset, Argentorati nova collegia, & in his certas classes institui, quibus ad exactam studiorum normam nihil plane deesset, consilio tandem Leonis effectum est, ut Winckelius illuc me ablegaret. Sed postquam Argentoratum veni, quo navigio descenderam, collegiorum ratio nondum plena tum a Senatu erat inita. Bucerus igitur domi suæ Terentii Andriam mihi legere instituit: cætera (g) *Dasypodii* Scholam frequentabam: Sed quod hyems illa mihi infesta esset, egoque ægrotare inciperem, tertio mense, postquam illuc veneram, per certos homines in patriam sum revocatus: sic annum deinceps, & amplius, a scholis abfui. Etsi enim in patria mea tunc literas docebat vir non ineruditus, ut postea ex sermonibus ejus & congressu, cum judicium confirmassem, non obscure deprehendi, parentes tamen mei, quod ritu Papistico Scholasticis in templo cantandum esset, & a schola & cantu illo longissime abesse me voluerunt. Itaque domi parentes in re familiari juvi. Interim mater mea, quam D. Bullingerus ex colloquio & pietate adhuc novisse potest, non semel enim Tiguri fuit, domi me intra privatos parietes instituit, ipsa quidem Latinæ Linguæ ignara, sed multæ lectionis mulier alioquin; ita-

(f) Factum id hora 12. nocte intempesta 11. Jul. An. 1536.

(g) Petri, Germ. Hasenfuß / Helvetii, viri utraque lingua doctissimi, quod edita ejus Lexica testantur, ex præceptore primum Gynopediano tandem Professoris Ling. Græcæ in Schola Argentinensi.

itaque Latinum Teſtamentum cum Germanico conferendo in ſingulos dies penſum meum ſic abſolvebam, ut non infeliciter Germanica ex Latino legerem, ſic ut ipſa diligentiæ aut negligentiæ meæ non obſcura caperet documenta. Tandem quod *Leo Judæ*, quem parentes mei ea de re literis ſolicitarunt, omnem mihi deinceps operam polliceretur, Tigurum ſum reverſus. Iſthic demum, ubi prima ſtudiorum fundamenta jeceram, quod reliquum fuit, ſuperædificavi. Sed Leonis mors poſtea non tam Eccleſiæ quam ſtudiis meis funeſta fuit, & luctuoſa. Is moriens Paſtoribus & Doctoribus, quos jam ante ad colloquium evocarat, diligentiſſime me commendavit. Poſtea ab iis ipſis in tutelam receptus, vertente anno, in Schola ſuperiore, ſecundæ claſſis Lector effectus ſum, in quo curriculo cum biennium conſumpſiſſem, An. 1545. cum *Rhodolpho Funckio*, *Henrico* (h) *Opiſandro*, & *Carolo Schvveningero*, a Senatu Ampliſſimo in Haſſiam ſtudiorum gratia miſſus ſum. Incidit noſter adventus in bellum Brunſuiciacum; captus tunc pater & filius, in Haſſia cuſtodiæ ſunt traditi: uterque cum adducerentur, pelle lupina inverſa indutus. Ad quod ſpectaculum cum ruſtici magno concurſu confluerent, Brunſuicenſis ſenior nobilem ad ruſticos adequitare juſſit, rogatum, quomodo hæc præda illis placeret? Illi reſponderunt: *Principem ſuum Landgravium diu nullos lupos cepiſſe, quorum pelles tantæ fuiſſent æſtimationis aut pretii.* Subſecutum eſt bellum Smalcaldicum, Germaniæ ſatis luctuoſum. Nos cum Landgravius copias educeret, dies aliquot caſtra ejus ſequuti ſumus;

(h) Hindermeiſter.

tandem quoque Norimbergam usque progressi, in eo itinere omnem lustravimus Franconiam. Hoc ipso anno Funkium, & me, *Philippi Melanchtonis* fama Wittebergam usque excivit. Jam æstas præcipitaverat, itinera vero minus erant tuta, propter motus bellicos, & eos quidem intestinos. Sed *Petrus Lotichius* tamen & *Joannes Altus*, homines mei cupidissimi, qui nos jam diu Wittebergæ exspectabant, magnum ad hoc iter momentum attulerunt. Sic, quod incredibile dictu est, per medios tumultus, qui in tanta trepidatione, jam Mauritii in Fridericum conspiratione patefacta, frequentes erant, & viatoribus infesti, Wittebergam usque incolumes penetravimus. Quodque magis mirum est, cum Wittebergæ præsidiarii in excubiis essent, per medias stationes, quæ in portis erant collocatæ, sic expediti incessimus, ut nemo excubitorum de adventu nos odiosius interpellarit: quod præter morem factum, amici deinceps affirmabant, qui sedulo percontabantur, cujus intercessione primo admissi essemus, quod dicerent, advenis aditum nullum patere, nisi civis aliquis spectatæ fidei se tanquam obsidem interponeret. Professores fere ad unum omnes, cum conjugibus & liberis jam oppido excesserant; unus Melanchton cum paucis aliis hærebat adhuc, cujus abitum Lotichius quoque & Altus præstolabantur. Sic hoc felicitatis nostræ fuit, quod eos ipsos, quorum gratia tam longum iter emensi eramus, sic opportune offendimus. Melanchton ut fuit humanitate summa præditus, in tot suis occupationibus, diu familiarissime nobiscum colloquutus, seculi nostri calamitatem deplorabat: tandem quoque in hos Ovidii versus erumpebat:

Vivi-

Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer a genero, fratrum quoque gratia rara eſt.

Ad extremum multa imprimis ſuper *Bullingero* & *Pellicano* rogitabat, quos ubi vivere & valere intellexit, viſus eſt magna lætitia affici. *Lotichius* cum *Alto* ſe Magdeburgum recipiebat, quos oppido egreſſos ad multa jugera comitati, votis tandem & lachrimis proſequuti ſumus. (i) *Lotichius*

(i) Fuit hic *Lotichius* condictus *Secundus*, mirabilis ille miſerabilis Magdeburgenſis urbis obſidionis excidiique annos circiter LXX. antequam accideret, vates. Vide ejus *Elegiarum* Lib. II. *Eleg* IV. Qui quam charum habuerit noſtrum Fabritium, documento ſit ejus ad eundem inſigne & Horatii elegantiam ſpirans carmen, quod hiſce metris *Carminum Lotichianorum* ex edit. Lipſ. An. 1594. *Lib.* I. *p.* 140. adſtrictum lego:

Montane, Aonidum comes ſororum,
Hos ſex continuos mihi per annos,
Dum Mars turbat Hyantias puellas,
Nunquam viſe, ſed omnibus diebus
Pars deſiderii mei ſub arcto,
Ecquid vivis adhuc, valesque? Nam te
Noſter vivere nunciavit Altus.
O factum bene! o vetus ſodalis,
Quo non ſuavior eſt, erit, fuitve!
Dic, quidnam tot agunt pares amici?
Blandi Carolus arbiter leporis,
Et tu mi Guilielme, tuque Funci,
Jucundi, unanimes, & eruditi?
Illam ver utinam novum reducat,
Qua vos alloquar, audiamque lucem.
Heu quot caſibus, & quibus procellis

chius postea (k) oculis meis non est redditus. Quæ tempora deinceps consequuta sint, notum est: & nos non sine magno periculo (in militem enim

Jactatum accipies tuum Secundum!
Tunc fontis liquidas sedens ad undas,
Ut mos esse tuus solebat olim,
Argutos mihi carminum libellos
Sub fago recitabis, aut sub ulmo.
Nunc Alpes nivibus jacent amictæ,
Quando Phyllirii senis per astrum
Declives agit imbrifer jugales,
Hyberno properans ab axe Phœbus.

(k) Non igitur damnas fuit factus sui, quod Fabritius tanto animi impetu effudit, voti, vel tandem revidendi suum Lotichium, in *Sylvarum* suarum Libro p. 4. s. 6. Lubet, ut pateat, quam revera Fabritio nostro non fuerit publica vena, carmen integrum hic exscribere. Inscriptio ita habet: Ad *Petrum Lotichium Secundum*, *Poetam*. Carmen ipsum sequens est:

Petre; quo primum duce sacra Phœbi,
Et novem vidi latices sororum,
Nos amor quando sociavit ambos
Martis in arbe.
Quem per obstantes sequuturus alpes,
Et maris cœcos fueram tumultus:
Cur tot inter nos jaeet & locorum,
Atque viarum?
Ultimos nam tu, procul orbe nostro,
Galliæ fines habitas remotæ:
Me fovet felix Tigurum, beatos
Inter alumnos
Forte dum longum furit, & cruentum
Pertinax Bellona quatit flagellum,

enim incidimus, tunc Neoburgum recipientem) media hyeme Marpurgum reversi sumus. Lipsiæ tamen complures dies substitimus, interea *Camerarii*, alio-

Quæris an nostra regione pax, an
Bella morentur?
Otium nobis bona fata præstant:
Alma pax & rura Ceres frequentant:
Præter hunc nostrum reliquus sed omnis
Dissidet orbis.
Jam frequens Turcis equitatur Ister:
Thraciæ passim volitant sagittæ:
Audit armorum strepitus Vienna,
Audit equorum.
Heu scelus nunquam satis expiandum,
Barbaros hostis cumulat triumphos:
Imperi captas inimicat urbes
Cæsaris ira.
Quamdiu hostiles abolebit ignes
Civium sanguis? miser an colonus
Semper in sylvis latitabit altis,
Rure relicto?
Ergo ubi murus stetit, & senatum
Civitas vidit dare jura plebi,
Mox feras antrum nemorale densis
Occulet umbris?
Quæque fœcundis operatus arvis,
Bos jugo robustus aratra traxit:
Surget incultis seges alta spinis?
Sentaque sylva?
Scilicet ne tu patriæ ruinam
Cerneres coram, procul exul erras,
Qua diem sol occiduus tepentes
Condit in undas.

aliorumque Doctorum, quibus tunc illa Academia præcipue florebat, lectiones audivimus. *Wolfgangus* tamen *Sybotus*, Græcæ linguæ Professor, tunc unus omnium optime de nobis est meritus.

Mar-

O mihi tantum Deus addat ævi
Insuper, quantum satis est videre,
Ferreos enses, galeasque duro
Vomere versas!
Ultimus cum te mihi reddat orbis:
Jamque securus maris & viarum,
Gentium mores memores, & urbes
Ordine visas!
Quasque sol terras medio profundo
Aspicit: quas Oceanus remoto
Summovet ponto, tumidisque late
Distinet undis.
Hunc diem curru properante Phœbus
Suscitet: nunquam metuam deinceps,
Debitam fatis, meliore cura
Reddere vitam.

Ingeminavit idem votum alio Carmine non minus eleganti, quod lege p. 29 - 32. Ex isto Carmine in verba præcedentia: *Lotichius cum Alto &c. quos oppido egressos ad multa jugera comitati, votis tandem & lachrimis prosequuti sumus;* commentarii vicem præstare poterunt sequentia:

Nunc subit illius mihi tristis imago diei,
Quæ nos Saxonicis ultima vidit agris.
Flebas discedens, non hoc quoque credo negabis,
Et lachrymas inter singula verba dabas.
Sæpe valedicens, iterumque iterumque redibas:
Sæpe tuam comites increpuere moram.
Tecum dicebas, superet modo vita, Fabrici,

Marpurgi *Andreas Hyperius* inter Theologos eminebat, *Oldendorpius* inter Jurisconsultos præstabat, inter Medicos vero (l) *Dryander* & *Cornarius* excellebant. Ubi hoc dissimulandum non est, me cum Marpurgum primum venissem, quod post Leonis mortem remissius in studiis progrederer, quodque tunc in Scholis carminum ratio exacta nulla traderetur, Hexametrum a Pentametro discernere non potuisse, precibus tamen & incredibili erga me studio Lotichii expugnatum, tandem Marpurgi ad Poesin animum primum adjecisse. Cæteris, quotquot una eramus, idem attentantibus, sed sine successu; Lotichio mihi, de summa rei, qui jam 19. ætatis annum attingerem, non semel dubitanti, subinde ingeminante: *Animum non abjicerem, se duce me ad summa quæque in hoc studio eniti posse.* Itaque, si ego minus in his studiis profeci, vel ætatis ratio, vel temporis injuria me excusare poterat. Tigurum enim cum commilitonibus reversus, Anno 1547. mense Martio, æstate proxima Provisor factus, vicarias operas (m) *Joanni Frisio*, olim

---

Omne lubens magni metiar orbis iter.
Sic tu dicebas, sic credulus ipse vicissim
Attonito falsas ore bibi lachrimas.

ALTI, qui nuptiis Fabritii primis Tiguri interfuit, quæ ex eo tempore fuerint fortunæ, & quam immaturo in Italia, haud diu post suum Tiguro excessum, fato diem obierit supremum, de eo idem Fabritius libro citato consuli potest in Epistola ad superstites Alti duos germanos fratres. p. 49-52.

(l) Eychmann.

(m) Celeberrimo illi Lexicographo, ex Satoribus meis itidem uni, in cujus imaginem in *Fabritii sylvis* p. 28, 29. sequens extat carmen;